



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 122. De bonis traditis in villis Hasbeke et Hamershus in pago Auga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

guli portiones suas et ipsi sunt testes meyndag gelo oddo reding uutildag beuo luidolf redbold erp gunthland fibert efic ranchard heriuuard helm- uuard irminuuard adalbodū gharuuard beuo ubald uualdmer.

guber-
nante
Corbe-
iam Wa-
rino.

§. 122.

Tradidit redman pro remedio animae filii sui heriman quidquid habuit in *hasbeke* (e) et in *hamersbus* (f) testes uualdman uigo ragenheri haold et alii quatuor.

§. 123.

Tradidit eilhardus in *hundloun* (g) quidquid ibi habuit scilicet et homines

referendus. *Herwardus* quidam testem egit, ipso (§. 32.) Theodardo intra pagum Huuetigo duos mansos donante. *Herwardum* ad hæc quendam iam supra (§. 104.) inter coheredes ducis Hessi deprehendimus. Videtur ille pater, hic vero filius, fuisse. *Helmwardus*, qui sequitur, nominatur (§. 231.) propinquus Beuonis, fratris Luidolfi ducis. Quidam §. 9. *Helmward* inter testes apparer, ubi in pago Nithega, in quem familia Brunoniana dominata est, quædam traderentur. De *Irminwardo*, *Adalbodu* ac *Beuone*, ad eandem familiam referendis, iam supra diximus ad §. 104. not. (N) Restant ergo tantum reliqui *Gharward Ubald* ac *Waldmer* illustrandi. *Gharwardus* probabilissime ad stemma Widekindum refertur. Ratio patet consideraturis ea, quæ de *Gharwardo* in his traditionibus adferuntur. Quamvis enim affirmare nolimus, traditionibus nostris semper per idem nomen, viro proprium, denotari vnâ eandemque personam; adducenda tamen sunt omnia, et ea, quæ ad confirmandam sententiam nostram faciunt, retinenda; at cetera reiicienda sunt. Primo enim *Gerwardus* cum Eilberto donauit, quidquid habuit in pagi Tilithi villa Lofardi, testante §. 19. Postea *Gerwardus* idem inter testes obuius est, cum nonnulli, e progenitoribus comitum Euersteinensium procreati, (§. 22.) promitterent atque ecclesiæ Corbeienfi sponderent, se vlllo tempore habitatores monasterii Corbeienfis haud infestaturos. Deinde *Gerward* et *Gharward* testimonium perhibuere, cum quædam (§. 34.) in pago Logne, et (§. 60.) in pago Hessi, et (§. 61.) in pago Enterigauii sita, traderentur. Tum vero *Gerward* inter testes apparebat, cum aliqui (§. 89.) quædam in pago Itegowæ seu in principatu Waldeccensi posita, et (§. 95.) in pago Huuetigo seu comitatu Swalenbergico obuia largirentur. Postea ipse *Gherward* (§. 148.) in Wuringreshus villa pagi Hessi, quæ Wirminghausen vicus est in Arolsen præfectura principatus Waldeccensis, quædam largitus fuit. Accedit, quod *Gherward* inter testes reperitur (§. 212), ubi Heriman in pago Hassi Franconico eiusque villa Hadunueni, quæ fortassis Huddingen est, locus præfecturæ Wildungen eiusdem in principatus terris quædam traderet. Postea *Garward* rursus præsto erat, cum (§. 213.) Waladericus in marca Sturmethi, in villa Bodriki, nonnihil donaret, atque Wigfuit (fortasse eius soror) in Hummi et Calriki, quidquid habebat, traderet Corbeiensibus. *Gharwardus* eo ipso tempore inter testes aderat. Pro eius anima post hæc tradidit Wycbertus mansum, testante §. 227. Ipse porro *Gerward* testem egit, cum Adalmer in pago Nethga quædam (§. 247.) traderet. Denique *Gharwardus* et *Erp* partem aliquam siluæ Masingorum donarunt; vti §. 255. refertur. Hæc silua in regione dynastie Padberg est quærenda. *Ubaldus* et *Waldmer*, qui vltimi sunt, etsi Waltmet quidam §. 10. appelletur frater Reutmeri, versantur adhuc intra penetralia Vestæ.

(e) Supra quidam *Redman* (§. 31.) mansum donauit, in Haslbechi villa pagi *Auga* situm. Eandem villam arbitramur fuisse *Hasbeke*. Id quod nobis persuadent et *Hasbeke*. nomen et traditor et nostrum Registrum.

(f) De villa *Hamersbus* vide supra ad §. 62. not. (D) dicta.

(g) De *Hundloun* villa pagi *Leri* vide supra §. 27. not. (C).

De villa
Hamers-
bus.

De villa
Hund-
loun.